

Heinrich Müller

**Rector Academiae Rostochiensis Henricus Müller/ Theologus Doctor & Professor
... Ad Festum Paschatis, in memoriam Gloriosae Et Salutiferae Conservatoris
Nostri Jesu Christi a morte Resurrectionis pia cum devotione celebrandum,
Omnes, qui Academiam pro Magistratu habent, officiose invitat, serioq[ue]
cohortatur**

Rostochi[i]: Kilius, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73566241X>

Druck Freier  Zugang



16

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS
HENRICUS Müller
Theologus Doctor & Professor, Facultatis
suz hodiè DECANUS, & ad' div. Mariæ Pastor

Ad
Festum Paschatis,
in memoriam
GLORIOSÆ ET SALU-
TIFERÆ CONSERVATO-
RIS NOSTRI

JESU CHRISTI
à morte Resurrectionis
pia cum devotione celebrandum,

Omnes, qvi Academiam pro Ma-
gistratu habent, officiosè invitat,
feriòq; cohortatur.

R O S T O C H I,
Typis JOHANNIS KILII, Academiae Typogr. cl. l. c. LXVI.

R. U. Progr. 1666/a

1666



SURGENTI DEO SACRUM!



N nulla re tam veementer, tam pertinaciter, tam obnixè & contentiosè contradicitur fidei Christiana, sicut de carnis resurrectione, non abs re scribit Augustinus serm. II. in Psal. 88. Quod *ὁὐ ἐξω* attinet, ridebant illi, si quis mortuorum causam apud ipsos peroraret. Ipsummet sanè Apostolum Paulum, statim atqve resurrectionis mortuorum in Areopago meminisset, *οἱ δὲ ἐχλεύαζον, οἱ ᾗ ἔειπεν, ἀκροόμεθα ἃ καὶ πάλιν ἐπέειπεν* Act. XVI, 32. Theophilus Episcopus Antiochenus lib. I. ad Autolyicum contra religionis Christianæ calumniatores, *Ἄλλα καὶ*, inquit, *ἀρνεῖσθαι αἱ ἃ νεκρῶς ἐγείρονται. φησὶ δὲ, δεῖξόν μοι καὶ ἓνα ἐγερθέντα ἐκ νεκρῶν, ἵνα ἴδωμ πνεύματα*. Apud Minutium Felicem, qui coætaneus fuit Tertulliani, in Dialogo qui *Octavius* inscribitur, Cæcilius gentilis, *Nec hac*, ait, *furiosa opinione contenti aniles fabulas adstruunt & annectunt. Renasci se ferunt post mortem & cineres & favillas: & nescio quâ fiducia mendacis suis invicem credunt. Putes, eos jam revixisse. anceps malum, & gemina dementia! celo & astris, quæ sic relinquimus, ut invenimus, interitum denuntiare: sibi mortuis, extinctis, qui sicut nascimur, & interimus, aternitatem repromittere.* Minutium proximè excipit Origenes, qui

139
nes, qui contra Celsum lib. I. Και μὴ νοηθὲν τὸ αἰεὶ τὸ ἀναστῆσεως πνεύματος ἰσχυροῦς μελώμενον. Ἐπὶ τῆ ἀπαύσεως. Floruit eodem seculo Arnobius cum discipulo suo Lactantio Firmiano, quorum ille ad gentiles lib. II. adv. gent. *Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram.* Hic lib. VII. c. 22. *Nobis, inquit, de religione affirmantibus & docentibus animas ad alteram vitam non oblitus sui, sed in eodem sensu, ac figura esse reddituras, illud reponitur, tot jam secula transferunt, quis unquam unus ab inferis resurrexit, ut exemplo eius fieri posse credamus?* Eodem tendunt apud Damascenum illa de duobus Martyribus fol. 863. interpretē Trapezuntio: *Crucifixo adhaesisti, seductus inanibus verbis famulorum ipsius, qui nescio quæ fabulosè dicunt futura secula, & mortuorum corporum resurrectionem delirant: alia pluri- ma ad seductionem stultorum introducetes.* Nec turba tantum vulgusve gentilium, sed & celeberrimi eos inter atqve acutissimi Philosophi de mortuorum resurrectione doctrinam fannis persecuti sunt, ut Justinus Orat. con. gentiles & Epiphanius in Ancorato tradunt. *Quod vix mireris, cum hic fidei articulus rationi humanæ nescio quæ non objiciat absurda.* Ast mirum sane post repressos tam potenter à Christo Saducæos & confutatos ab Apostolo Hymenæum & Philetum II Tim. II, 18. repertos semper in ecclesia, qui vel omnem in totum, vel ejusdem carnis resurrectionem, non dicam, in dubium vocarent, sed pernegarent. Habes in ipso *Seculo primo* Saturninum Antiochenum apud Irenæum I. I, c. 22. & Basilidem Alexandrinum apud eund. c. 23. In *secundo* Valentinum & Marcionem apud Irenæum c. 29. Tertullianum l. de præf. c. 50. Epiphanium hæres. 24, 31, 52. In *tertio* Manetem, s. ut alii vocant, Manichæum apud Epiphanium hæres. 66. Augustinum I. IV. cont. Faust. c. 16. Theodoretum l. I. de hæres. fab. & Hieracem apud Epiphanium hæres. 67. In *quarto* Johannem Episcopum Hierosolymitanum apud Hieronymum lib. adv. error. J. H. & Augustinum

gustinum hæres. 59. In *sexto* Evtychium Constantinopolitana-
num Patriarcham apud Gregorium M. l. XIV. Moral. in Job.
c. 29. In *nono* Michaëlem Balbum apud Zonaram in ejus vita,
ut de quæ plurimis aliis, quorum vestigia pressim legunt hodi-
diè novi Samofateniani, (vid. Socinum lib. adv. Puccium &
Epist. V. ad Volkeliu, item c. l. prælect. Theol. ubi disertè,
*Nisi, inquit, nobis nobis Dei favor adsit, necesse est omninò, ut
omnes moriamur, & in ipsa morte maneamus. Neque enim is aut
necessariò aut verè moritur, qui aliquando in vitam revocandus*)
nunc dicam nihil. Hi omnes resurrectionem vel omninò ne-
garunt omnem, vel si non omnem, eam tamen, quæ hujus est,
quam circumferimus, carnis. Et quod mirè magis, ipsos
cœteroquin Orthodoxos Episcopos haud leviter exercuit de
hujus carnis resurrectione non sine addubitatione ventilata
quæstio. De Cyrensi Episcopo Synesio Evagrius l. I. Hist. c. 17.
memorat, quod in Christianorum castra transierit quidem,
sed quæ de resurrectione mortuorum Christiana fides teneret,
admittere non potuerit. Origenem Adamantium, ad cujus
eruditionem & pietatem tota ferè olim obstupuit ecclesia, do-
cuisset, resurrecturos mortuos, sed corporibus aëreis & impal-
pabilibus tradunt Epiphanius hæres. 64. & Hieronymus in E-
pist. ad Pammach. quem tamen excusat Ruffinus Præfat. in apo-
log. Pamph. Martyris. Quin eo usque dementia processerunt
nonnulli, uti ipsum Christum surrexisse negarint, sicut de Ce-
rintho, homine ἀνοήτω & ἀνοήτων διδασκάλῳ prodit Epiphanius
hæres. 28. quod dixerit *Χριστὸν πεπνθέναι, & ἐσαυρωῶσαι, μήπω ὅτι ἐζη-
χίρωθαι, μέλλειν ὅτι ἀνίστασθαι, ὅταν ἡ καθόλου σφίται νεκρῶν ἀνάστασις,*
*Christum passum quidem & crucifixum esse, nondum tamen à mor-
tuis excitatum, ac tum demum, cum mortui resurgunt omnes, exci-
tandum.* Errori huic, cœterisq; qui de mortuorum resurre-
ctione pertinaciter soventur, obviam iturus Epiphanius, præ
aliis Scripturæ locis urget verba Pauli I. Cor. XV, v. 20. *Νῦν ὅτι
Χριστὸς*

Χριστὸς ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν, ἀπαρχὴ τῶν νεκροσημειῶν ἔσται, quæ ver-
tit Syrus; Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, & factus est
primitia dormientium. Arabs; Nunc autem Christus resurrexit
à mortuis, & factus est primitia obdormientium enascentes. Æthy-
ops; Et nunc Christus primò suscitatus est antiè omnes homines mor-
tuos. Vulgatus; Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, pri-
mitia dormientium, omisso verbo ἔσται, quod in quibusdam
Codicibus Græcis deest. Schmidius; Nunc autem surrexit Chri-
stus ex mortuis, adeoq; primitia resurrectionis eorum qui obdormi-
erunt, factus est. J. & Tremellius; Nunc autem Christus surre-
xit à mortuis, & factus est primitia obdormientium. Beza; Nunc
autem Christus excitatus est ex mortuis: & primitia eorum qui ob-
dormierunt, factus est. Versio Bibliorum Germanica antiqvissi-
ma exprimit; Wente nu Christus is upghestaen vandeme Dode /
de erste Brucht der Schlapenden. Lutherus, Emserus &
Dietenbergerus; Nun aber ist Christus aufferstanden von den
Todten / und der Erstling worden unter denen die da schlaffen.
Versio Photiniana N. T. Nun aber ist Christus von den Todten
aufferwecket / und ein Erstling worden derer / die entschlaffen sind.
Batavi; Maer nu / Christus ist opgewekt uyt den Dooden:
(ende) is de Erstlinge gheworden der gene die ontslapen. yhu.
Angli; But now Christ is risen from y dead and become the first
fruits of them that sleepe. Cœperat resurrectio mortuorum
ab ipsis etiam Corinthiis in dubium vocari, qui necdum tamen
fidem Christianam abjecerant prorsus, eapropter repetendum
sibi ducit de novo Evangelium Paulus, quod eos inter prædica-
verat, cujusq; hoc quoddam quasi erat breviarium. CHRIS-
TUS MORTUUS EST ET RESURREXIT, v. 3. &
4. Exhinc Elenchus ad convincendos Corinthios, qui ut quæ
hoc fidei caput hæsitare cœpissent, nondum tamen ab Evange-
lio desciverant, fortis satis firmusq;. SI RESURRECTIO
MORTUORUM NON EST, CHRISTUS QVO-

A 3

QUE

QVE NON EST SUSCITATUS. v. 13. Nam & si nulli
 mortui resurgunt, Christus mortuorum insertus Catalogo,
 non resurrexit; & si cuncta membra æternæ morti mancipata,
 caput quoque ipsum, quod Christus est, in morte manere de-
 buit; Quæ enim capitis, si avulsam fuerit abs membris, vita?
 Sequetur ergo ex negatâ mortuorum resurrectione, Christum
 non resurrexisse. Quo posito consequente, quæ non, pro-
 DEUM immortalem! nascentur absurda? ut quod VANUM
 SIT PRÆCONIUM PAULINUM, ad quod tamen non
 sponte sua, sed Dei jussu accesserat; quod VANA SIT FIDES
 CORINTHIORUM v. 14. quæ videlicet in Christum non
 mortuum, sed vivum erat defixa; quod APOSTOLI INVE-
 NIANTUR FALSI TESTES DEI, v. 14. ut qui de DEO te-
 stificati erant, eum suscitasse Christum; quod CORINTHII
 ADHUC SINT IN PECCATIS SUIIS, v. 17. quia si mors
 Christum vicit, victumve detinuit, non potest ejus mors efficax
 esse ad promerendam remissionem peccatorum vitamque æter-
 nam; quod, QVI OBDORMIERUNT IN CHRISTO
 PERIERINT, v. 18. adeoque, qui Christo addicti MISERRIMI
 OMNIUM SINT MORTALIUM v. 19. quod cum justitia
 & bonitate DEI pugnat. Non potuit itaque non resurrexisse
 Christus, de quo nec dubitabant Corinthii. Ex resurrectione
 Christi ergo, tanquam articulo Corinthiis credito & concesso,
 fidelium resurrectionem legitimè infert Apostolus inquiring;
 NUNC AUTEM CHRISTUS SUSCITATUS EST
 EX MORTUIS, ET PRIMITIÆ EORUM QVI OB-
 DORMIERUNT FACTUS EST. v. 20. Christi re-
 surrectio & mortuorum *possibilem*, & fidelium quammaximè
 resurrectionem *certam* esse demonstrat. Duo nobis in his Pau-
 li verbis excutienda præprimis. Primum est; Νῦν δὲ Χριστὸς
 ἐγήγερται ἐκ νεκρῶν. Non est, quod culpemus eos, qui ver-
 bum ἐγήγερται activè reddiderunt, *resurrexit*. Utrumque
 enim

143

enim rectè dicitur, & resurrexisse Christum virtute propria, & fuscitatum esse per gloriam Patris. Vid. Joh. II, 19. c. X, 17. 18. Negant quidem Photiniani, Christum resurrectionis suæ ipsum esse causam efficientem principalem, sed nec mirum, quod negent, qui ipsum hujus sententiæ fundamentum, personalis nempe unionis mysterium, evertunt. Concedere enim tenetur Crellius, suppositâ unione non posse non sequi Christum resuscitasse seipsum. *Nemo dubitat, inquit libr. I. de uno D. P. c. 29. si Christus summus ille Deus sit, eum omnino seipsum resuscitasse, ac, ut resuscitaret, maxime convenisse. Nam cum ex ea sententia sequatur, humanam naturam, secundum quam mortuus fuerit Christus, personaliter fuisse junctam divina; fieri nequaquam potuit, ut humana natura in morte perpetuo maneret, & sic, cum unio illa nunquam dissolvi ex eorum sententia possit, divina natura corpus mortuum indissolubili aeternoq; nexu unitum esset. Porro autem, si resuscitanda fuit humana natura, à quonam potius resuscitanda erat, quàm à natura ejusdem Christi divina, quæ id & prestare per seipsam facillimè posset, & propter arctissimam illam unionem, hoc natura sibi junctæ beneficium, ad suam gloriam & honorem imprimis necessarium deberet? Itaque sive facultatem spectes id præstandi, divina Christi natura prima ejus operis causa fuisset; sive officium, ipsi id præcipuè incubuisset. Quomodo ergò Christus resurrectionis suæ verus ac præcipuus auctor non fuisset? Ingenua sanè confessio, quàm nos, qui mysterium divinitatis Christi ejusq; cum carne humana unionis personalis piè veneramur, utravis amplectimur manu, contraq; Crellium blasphemum & principia negantem disputare nostrarum non existimamus partium. Supponimus ex Paulo carni Christi propter ἐνωσιν & ἀειχώρησιν personalem, πῶς τὸ ἀνάστασιν τὸ ἵόντι communicatum realiter. Quo supposito sequitur, carnem Christi habuisse virtutem verè vivificam, non tantum ratione meriti, sed & in se, quæquam non subjective. Joh. V, 26. Supponimus secundò, unionem*

unionem personalem in media morte mansisse indissolutam, unde *Sanctus ille Dei* haud potuit videre corruptionem Ps. XVI non tantum ob *absentiam cause corrumpentis*, s. peccati, sed & ob *presentiam cause conservantis*, vitæ nimirum filii Dei carni realiter communicatæ. Quo posito, sequitur, virtutem vivificam in media etiam morte ex immanentia & *Nys* possedisse Christum, quam & in sui suscitatione exseruisse eum disertè testatur Scriptura non tantum in locis superius allegatis Joh. II. & X. sed & Rom. I, 4. ubi dicitur *declaratus filius Dei in potentia, secundum Spiritum sanctificantem, per resurrectionem mortuorum*, non aliorum tantum sed & inprimis sui. Quod opponit Crellius de suscitatione Christi Deo & Patri tributa Act. III, ult. XIII, 33. I Theff. I, 9. 10. refutationem vix meretur. Certè non nisi *ad γωσ* inferas; *Quod in Scriptura tribuitur Deo Patri id SOLI competit Patri, & non etiam Filio.* Subsumam ego; *Atqui suscitatio mortuorum tribuitur Patri.* Act. XXVI, 8. Ergò *soli Patri competit*, quod ipse vix admiserit Socinianus. Rectius ita colligas; *Quod in Scriptura tribuitur Deo Patri (personali Patris characterè excepto,) id etiam competit Filio*, quia utriusque eadem essentia Joh. X, 30. eadem operatio, Joh. V. 17. 19. 21. & disertè Christus ad Patrem suum Joh. XVII, 10. *Omnia mea tua sunt, & tua mea.* Sed, instat Crellius l. c. *Ea sententia* (quam nos defendimus,) *argumentum Paulinum*, qui ex Christi resurrectione nostra resurrectionis veritatem adstruit I Cor. XV. vehementer labefactat, & sic validissimum spei nostra fulcrum convellit. Paulus enim inde ostendit, nos resurrecturos, quia Christus resurrexit. *At si Christus seipsum virtute sibi insita ac prorsus naturali à mortuis resuscitavit, & non potuit non resuscitare, consecutio infirma est.* *Quomodo enim sequitur, si Christus propria ac planè naturali virtute seipsum resuscitavit, & non potuit non resuscitare; nos quoque, qui ea virtute prorsus caremus, & quos natura nostra ab æterna morte nequaquam vindicat, omninò resurrecturos?* Argutè magis sophisticatur

145

phisticatur Crellius quàm solidè. Nos enim spem resurrectionis nostræ fundatam volumus in resurrectione Dominica, non *ut exemplo, sed causa*, h. e. non *quemadmodum* Christus virtute suâ resurrexit, sic & nos credimus virtute nostra nos resurrecturos, sed *quia* ille resurrexit & *per resurrectionem constitutus est caput super omnia ipsi ecclesiæ* Eph. I, 20. 22. idè quoque credimus nos resurrecturos, ne divellamur membra à capite nostro. Si Christus seipsum virtute propria suscitare potuit, cur non eadem virtute nos, membra sua, excitare quæret? ita non convellitur per hanc sententiam spei nostræ fulcrum, sed consolidatur potius. Et hoc nunc *secundò* ventilandum nobis ex verbis Pauli; Ἀρχὴ τῆς κεκοιμημένων ἐγέρσεως. *Initium dormientium*, reddidit Ambrosius, vel quisquis comment. in Epistolas Paulinas sub ejus nomine auctor est, nec id inconcinne adeò. Primitiæ enim fructuum initium veluti messis in Vet. Testam. Lev. XXIII, 9, à cujus ritu hæc similitudo desumpta. Paulus ipse Col. I, 18. ὅς ἐστιν ἀρχὴ, πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, quæ verba à variis leguntur & exponuntur variè. Nonnulli ita; *Principium primogenitum ex mortuis*. Beza & Schmidius suppleunt copulativam &, *Principium & primogenitus ex mortuis*. Athanasius & cum eo Calvinus interpretantur supplendo causalem; *Principium, quia primogenitus ex mortuis*. Chrysostomus legit, non ἀρχὴ, ut habetur in codicibus nostris, sed ἀρχὴ *primitiæ & primogenitus*. Ad rei summam nihil interest, quomodo-cunque vel legas vel exponas. Sufficit in utroque loco convenire omnes, quod Paulus velit ostendere Christum & surrexisse *primum*, & membris suis omnibus *principium* factum fontemque resurrectionis ad vitam. Duo itaque explicanda nobis sunt, Christum ipsum fuisse primum in resurrectione gloriosa, & ita fuisse primum, ut sit causa fidelibus resurgendi ad vitam gloriæ. Fuit enim Christus & *primus* in ordine resurgendi *quoad se*, & *principium quoad nos*. Utrumque conjungunt

B

Athana-

Athanasius, qui lib. de hum. nat. susc. Πρῶτον ἐν τῷ ἰδίῳ σώματι
 ἤγαγεν ὁ Κύριος ἐκ νεκρῶν καὶ ὑψωσεν. καὶ ταῦτα ἐραρεῖ καὶ τὰ μέλη ἐ-
 κρίνωσιν αὐτῷ, ἵνα καλεσθῆται αὐτῷ τὰ πάντα ὡς θεός, ὅσα αὐτῷ ὡς ἀν-
 θρωπῷ ἐλάβεν. *Primum igitur proprium corpus suscitavit Do-
 minus ex mortuis et exaltavit. Dehinc etiam excitabit membra cor-
 poris sui, uti docet iis omnia ut DEUS quæ ipse accepit ut homo.*
 Theodoretus ad h. l. Πρῶτος γὰρ ἔλυσε τὸ θάνατον τὸ κράτος. Τῇ
 ἀπαρχῇ ἢ πάντως ἀκαλεσθῆσθαι τὸ Φύραμα. *Primus enim mortis impe-
 rium destruxit: primitias autem massa omnino consequetur. Et*
 Anselmus, vel, ut alii volunt, Hervæus ad h. l. *Primitia est mor-
 tuis i. e. tempore et dignitate primus evigilans ex dormientibus, ut
 et multitudinem eorum a somno mortis excitet, sicut primitia cujus-
 libet rei quæ offeruntur Deo totam subsequentem massam consecrant.*
 Primus Christus in ordine resurgentium tempore, primus nem-
 pe & solus qui resurrexit ut principium suæ resurrectionis, car-
 nem suam suscitans virtute propria, reliquis ante ipsum virtu-
 te excitatis aliena; primus & solus, qui resurrexit in hoc secu-
 lo ad vitam gloriosam, non denuò moriturus, reliquis, si quæ
 excitati, non ad præsentem participationem, sed manifestatio-
 nem gloriæ divinæ excitatis. Verè enim Cyprianus in libr. de
 resurr. Chr. *Resurrexerunt, inquit, quidem ante Christum, sed in
 nomine et fide ejus, sub Helia vivente in corpore unus, sub Helisæo
 vivo et mortuo duo; sed ad mortem quam gustaverant iterum redie-
 runt: resurrexit et Lazarus ad imperium Christi, et alii nonnulli;
 sed hi omnes aliquo tempore beneficio vitæ usi iterum ad funera redie-
 re. At Christus excitatus ex mortuis nunquam postea moriebatur.*
 Rom. VI, 6. Gemella planè habet Epiphanius in Ancorato
 c. 94. Etiam illi, de quibus Matthæus c. XXVII. *Multa, inquit,
 corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt, quosve omnino
 verosimile est ad immortalem vitam resurrexisse, non ante, sed
 post Christum resurrexerunt, veluti gloriosæ ejus resurrectionis
 comites. Quod enim Matthæus resurrectionem eorum
 statim,*

147

Statim post narrationem mortis Dominicæ describit, *prolepsis* est historica, non infrequens in sacris. Etenim occasione prodigiorum, quæ narrat Evangelista mortem Domini oppidò fuisse consecuta, inter quæ erat monumentorum apertio, resurrectionem mortuorum, qui è monumentis illis apertis, etli tertio demum die, egressi sunt vivi, putavit eâdem serie narrationis attextendam. Primus dormientium Christus *causalitate*, quia est principium effectivum & causa resurgendi omnibus suis membris ad gloriam. Ipse sua passione & victoria promeruit suis gloriosam resurrectionem. *Traditus enim est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram.* Rom. IV, 25. at quos *justificabit, glorificabit,* c. VIII, 30. Ipse divina sua virtute omnes suos excitabit ad gloriam. Cur enim *primitiæ*? Quia quemadmodum in lege primitiarum oblatio causa erat, cur reliqui fructus benedicerentur, sic Christi resurrectio causa est, cur reliqua membra resurgant. Eleganter Prudentius in apothecosi;

Solvor morte meâ, Christi virtute resurgo.

Si, quorum dormientium primitiæ Christus sit, omniumne, an iustorum duntaxat, interrogas, Ambrosium libr. de fide resurr. habebis extendentem beneficium hoc ad omnes, etiam impios, quasi & horum quoque resurrectio ex merito Christi tanquam communis benefactoris proveniat. Et certè negari non potest, quod Christus resurrectione sua id quoque impiis & damnatis impetraverit, ut & ipsi ex Dei & Christi intentione salutaris ejus fructus participes fieri & ad vitam æternam resurgere possint ac debeant. Nec etiam negari potest, quod Christus impios in die pancritico suscitaturus sit. Quamvis enim resuscitatio mortuorum Patri & Spiritui S. hinc inde in Scripturis tribuatur, peculiari tamen ratione à Christo etiam secundum humanam naturam exercebatur, qui sicut in unione personali dicta & facta ipsasq; hominum cogitationes pene-

trandi facultatem, & juxta eam scientiam judicium universale in extremo die peragendi, ita non minus in eadem unione divinam & supernaturalem vim suscitandi mortuos accepit, ut ipse testatur Joh. V, 21. 25. 26. 27. 28. Neque tamen affirmare a usim, suscitaturum Christum impios in die extremo *vi meritorum* suorum, redemptionis per passionem, mortem & resurrectionem facta, quia suscitationem illam tribui video I. c. *vi omnipotentis ejus* vocis, quia tanquam justus à Deo constitutus judex vivorum & mortuorum impios ex decreto & justitia divina suscitabit, ut aeternae damnationi mancipentur. Mirum in modum placent, quae habet Estius ad praesentem Pauli locum: *Injusti ac reprobis meritorum Christi post hanc vitam participes fieri nequeunt, ut qui fidem, sine qua Christi merita non possunt eis applicari, vel nunquam habuerint, vel, si habuerint, peccando sibi inutilem fecerint.* Dicendum igitur, Apostolum solos in Christo dormientes hic intelligere, sive, quemadmodum loquitur Aquinas, mortuos qui in spe resurrectionis quiescunt, i. e. solos justos atque electos, qui membra sunt Christi. Nam ut ex resurrectione capitis Christi non rectè ducitur argumentum ad resurrectionem omnium hominum, sed eorum tantum qui membra sunt sub illo capite: sic ex resurrectione Christi tanquam fructus primitivi non procedit ratio nisi ad fructum sequentem. Etenim primitiae tantum ad fructus referuntur. Fructuum autem nomine nusquam in Scripturis mali ac reprobis significatur, sed soli boni. Nam malos Scriptura paleas appellat & Zizania, & spinas ac tribulos Matt. 3. & 13. Hebr. 6. Quare vel ex ipso vocabulo primitiarum satis argumenti est ad excludendum hoc loco malos atque reprobos. Et observa, Christum hoc loco ita nuncupari primitias dormientium, quemadmodum alibi primogenitum mortuorum, ut Col. 1. & Apoc. 1. Non est autem primogenitus, nisi respectu fratrum ex eodem Patre per adoptionem genitorum, quos DEUS praedestinavit conformes fieri imaginis filii sui, ut ipse sit primogenitus in multis fratribus Rom. 8. Quare nec primitiarum
nomen

149
nomen ei competit, nisi respectu eorum, qui fructuum appellationem
mereantur, i. e. sequentium Christum, uti bene ratiocinatur Oecum-
menius super Eph. 1. Nec pluribus opus: quando Paulus ipse sen-
sum suum aliquanto post aperte declarat dicens; Primitia Christus,
deinde ii qui sunt Christi. Quorum nempe respectu primitia Chri-
stus. Agnoscit idem ex Calvinianis atque fatetur Beza, quum
in notis ad h. l. De credentibus, inquit, sermo est. Nam aliis
cum Christo nihil commune est, neque Christi mortis beneficio resur-
gunt, qui extra Christum sunt. Hæc tetigisse sufficiat, quando-
quidem prolixior horum diductio non est hujus loci.

Sed quorsum hic sermo? Surrexit Christus hodiè, CIVIS,
Victor ille ac triumphator mortis. Ejus memoriam quæ re-
ctius celebraverimus, quam si cum universa ecclesia catholica
jungamus spem nostram de resurrectione hujus, qua induci
sumus, carnis, atque instituamus vitam spe tanta dignam. Va-
na se sustentat spe resurrectionis ad gloriam à morte naturæ,
qui non per Christum resurgit ad gratiam à morte peccati. U-
traque resurrectio conjungenda est, quia licet Christus nunquam
resurrexit à morte peccati, qui nunquam fuit peccato subdi-
tus; unica tamen Christi resurrectio causa est utriusque in no-
bis, & ita sunt conjunctæ inter se hæc duæ resurrectiones, ut
nisi quis virtute Christi resurgat prius à peccati morte, nunquam
resurrecturus sit ad vitam gloriæ. *Beatus, qui habet partem
in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.*
Apoc. XX, 6. Spiritus regenerationis est arrha resurrectionis
beatæ, jusque quasi ejus nobis tribuit. Unde pulcherrimè Ter-
tullianus libr. de resurr. inquit, *per regenerationem corpora nostra
futura resurrectioni inaugurari.* Et Thomas ad illa verba Pauli
Rom. VIII, 11. *Si Spiritus ejus qui excitavit JESUM à mortuis, ha-
bitat in vobis, ipse qui excitavit Christum ex mortuis, vivificabit eti-
am mortalia corpora vestra propter inhabitantem ipsius Spiritum in
vobis,* scribit: *Corpora nostra vivificabuntur ad gloriam propter di-*

B 3

gnitatem

gratiam quam habuerunt ex eo quod receptacula fuerunt Spiritus Sancti. Dico, virtute Christi Vobis resurgendum esse ad vitam gratiæ. Christus enim est, qui vivificationem hanc spiritualem vobis promeruit. Ipse ejusdem in vobis causa est efficiens; Eadem enim virtute quâ se à morte excitavit ipsum, vos quoque à morte excitat peccati & ad novam gratiæ vitam regenerat. Unde Apostolus; *Existimate vos ipsos mortuos esse peccato & vivere Deo PER Christum Jesum Dominum nostrum Rom. VI, II.* Ipsius quoque resurrectionis vestræ ad vitam gratiæ typus quidam esse debet atque exemplar, ut *sicut excitatus est Christus ex mortuis, ita & vos in novitate vitæ ambuletis, v. 4.* Surgite ergo in Domino, surgite cum Domino, surgite ut Dominus. Surrexit ille summo mane. Quid moras necitis? equidem quid serus secum vesper ferat profundè, opinor, vos latet, fors morbum, fors mortem ipsam. Surrexit ille verè, seq; ipsum, ut veritatem demonstraret illam, discipulis suis videndum exhibuit atque palpandum. Quotus vestrum quisq; *Cives*, se vivere vitam gratiæ & sibi persuadet ipsi & ut aliis persuadeat maximo perè annitur, in quem tamen haud ineptè quadret illud Conservatoris ad Episcopum Sardicensem Apoc. III. *Nomen habes quod vivas, at mortuus es.* Si fides vera atq; vita, cur non visibilis ea in morib; cur non palpabilis in exercitio bonorum operum? Spectrum est, umbra est & inane nomen; *Fox* prætereaq; nihil. Surrexit ille *integre* nihilum sui in sepulcro relinquens, non pedem, non manum, non dentem, non capillum. At vestrum cheu! quamplurimi qui si non manu, non corde, non ore, pede tamen in peccati sepulcro defixi hærent, dum ea retinent, quæ petra scandali sunt & occasio relapsus, domos suspectas, societates pravas, commercia periculosa. Surrexit ille *firmiter*. *Resurgens enim ex mortuis jam non moritur, mors illi ultra non dominatur Rom. VI.* Crediderim fore inter vos, qui sacra hæc Paschalia sic satis devotè celebrent, uti jurare au-
lis re-


151
sis resurrexisse eos à morte peccati. Sed finitis vix feriis ad vomitum redire conspicias cum canibus, & cum suis lotis ad volutabra luti. Cum his novissima pejora prioribus. Surrexit ille *gloriosè*, cum corpore impassibili, claro, agili, subtili. Hi spiritualiter resurgentium characteres. Sunt illi *impassibiles*, & sive prospera, sive adversa fortunæ tela in eos mittantur, impenetrabiles. Sunt fulgidi ac *clari*, lucetq; lux eorum coram hominibus, ut proximus quoque illustretur per eos atque incalescat; sunt *agiles* promptive ad exequenda ea, quæ futurum sunt in Christianismo & officio partium; sunt denique *subriles*, penetrant januas clausas, cum proximo succurrendum; muros, valla, armatorum cuneos, cum pro Dei gloria dimicandum; Celum ipsum, cum orandum ipsis est atque meditandum. Surrexit, inquit Angelus ad mulierculas metu concussas, & non est hic. Si cum Christo surrexistis, *Cives*, conversatio vestra non in terris esse debet, sed in celis, ut vestrum faciatis illud Socratis; *In Celum mente conscendi. Solem hunc, solumq; hoc despicio.* Hoc speretis, hoc agatis, ô optimi, uti perpetuò animis vestris obversetur illud Apostoli I Cor. V. *Pascha nostrum pro nobis immolatum est Christus. Itaque festum agitemus non fermento veteri, nec fermento malitiæ & nequitia, sed azymis sinceritatis & veritatis.* Det vobis Dominus *Quiescat*
ὁ ἄνεμος ἐν τῷ σίτῳ!

P. P. Rostochii sub Sigillo Rectoratus Anno M. DC. LXVI, ipso die resurrectioni Dominicæ sacro, XV. Aprilis.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

F. P. Roscheri sub Sigillo Reformationis An-
no M.D.C. LVI iplo de reformatione
anno sacro, XV. Aprilis.



nomen ei competit, nisi respectu eorum, qui
mercantur, i. e. sequentium Christum, uti
menius super Eph. 1. Nec pluribus opus: q
sum suum aliquanto post aperte declarat dice
demde ii qui sunt Christi. Quorum nempè
stus. Agnoscit idem ex Calvinianis atq
in notis ad h.l. De credentibus, inquit,
cum Christo nihil commune est, neque Christi
gunt, qui extra Christum sunt. Hæc tetigi
quidem prolixior horum diductio non est

Sed quorsum hic sermo? Surrexit C
Victor ille ac triumphator mortis. Eju
ctius celebraverimus, quam si cum unive
jungamus spem nostram de resurrectione
sumus, carnis, atque instituamus vitam sp
na se sustentat spe resurrectionis ad glori
qui non per Christum resurgit ad gratiam
traque resurrectio conjungenda est, quia licet
resurrexit à morte peccati, qui nunquam
tus; unica tamen Christi resurrectio cau
bis, & ita sunt conjunctæ inter se hæc dua
quis virtute Christi resurgat prius à pecc
resurrecturus sit ad vitam gloriæ. *Beati
in resurrectione prima, in his secunda mors*
Apoc. XX, 6. Spiritus regenerationis est
beatæ, jusque quasi ejus nobis tribuit. Un
tullianus libr. de resurr. inquit, *per regene
futura resurrectioni inaugurari.* Et Thom
Rom. VIII, 11. *Si Spiritus ejus qui excitavit J
bitat in vobis, ipse qui excitavit Christum ex m
am mortalia corpora vestra propter inhabitant
vobis, scribit: Corpora vestra vivificabuntur.*

B 3

149
ellationem
tur Occu
ipse sen
Christus.
itia Chri
za, quum
Nam aliis
cio resur
quando
e, CIVES,
n qui re
catholica
ra induti
am. Va
e natura,
cati. U
nunquam
to subdi
ve in no
s, ut nisi
nunquam
et partem
testatem.
rectionis
imè Ter
ora nostra
rba Pauli
ctuis, ba
cabit eti
iritum in
propter di
gnitatem

